



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**


**Leodivm Ecclesiae Cathedralis**

**Rausinus, Stephanus**

**Namvrci, 1639**

Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11818**



## LECTORI.

Paucis Lector Sensate volui te commonendum:  
Epitomen rerum Principalium potius isthinc dedi,  
quam accuratam omnium enumerationem. A diuturno  
morbo plus non licuit: viam saltem straui impigris  
emulatoribus hoc labore accendendis. Quantillulum est  
ex fide conscripsi, quæ per omnem vitam vitâ charior  
fuit, & quamdiu suspetet, erit. Haufi autem potissi-  
mum ab ipsis met Fœderibus & Pactis, & Manuscripto  
Codice Consuetudinario cunctorum penè Leodienium  
manibus trito: quorum substantiam scrupulosâ inter-  
pretatione, non immutato quidem apice, pro occurrente  
materiâ Latinè reddidi. Cæsarum etiam Diplomata  
fuere adiumento. Mirum quibusdam videbitur, at ve-  
rum. Sentient Plebicolæ suis sese telis debellari. Argu-  
menta, inquam, finistrè ab ijs contorta, dextrè in eos re-  
torqueri: & ubi rebantur inuenisse fabam reperturos  
pro fabulis suis lolium, & pro iuribus Principis triti-  
cum. Quæ autem Popularis historiæ, deprompsi ut plu-  
rimum à domesticis Annalibus operâ quondam Ioannis  
Chapeauille Protouicarij selectè compilatis. Ut pluri-  
mum: quia non pauca à vicinis Chronistis, & peregri-

d

nis



nis authoribus laudatae authoritatis. Externa & anti-  
qua nonnunquam miscui, eaque è probatissimis Scripto-  
ribus; partim tædium legentium inter arida & aspera  
mitigaturus; partim exemplis aut similitudinibus thema  
confirmaturus. Eodem Sanctiones Imperatoriae, & Re-  
sponsa Prudentum quandoque allegata conducunt. Alius  
diceret & ad ornatum prædicta aliquid facere, appro-  
bante Horatio

Purpureus latè qui splendeat vñus & alter  
Asluitur pannus

Nusquam tamen, nisi rariissimè, authores aut legum  
fitus memoraui, ut planior esset discursus via, ne  
orationis series velut quibusdam sulcis, aut biatibus  
interrumperetur. Alteram ex Iusto Lipsio possem addere  
causam, Quia nouitij, & Grammatici commatis illa  
cura videtur, & aut à vano, aut pusillo animo esse.  
Interruptionem orationis deuitasse dico: Non eo sensu,  
quasi contexta semper sint sub unum caput que ad il-  
lad pertinebant. Datâ enim operâ interdum cohærentia  
disiunxi, & aliud in locum distuli; ut in varietate  
identitatem, varietatem in identitate prospiciens.

Nemo porrò modestiam defyderet in stilo qui effer-  
tur aliquoties, & in improborum castigationem acriter  
erumpit. Nolim ut pro me respondeat Senior Comicus  
in Curculione

Indi-

Indignis si malè dicitur maledictum id esse dico,  
Verum si dignis dicitur, benedictum est meo quidem  
animo.

Nam alienum à satyricis scriptis pectus gero : ferre  
leniter iniurias, neutiquam inferre edoctus. Cæterum ut  
facinorosi à probis viris distinguuntur factis, sic pu-  
blicè interest, & benè moratorum præcipue ciuium, cen-  
sura norâ malos dignosci. In quos solos si quid est hic  
subiti aculei, defigitur : qui sunt in urbe, quod sentina  
& colluuiies sordium in naui. Illuc dum quis fortè de-  
spuit, nauigantium læditur nullus. Virtutem laudari  
conuenit, vicia vel vituperari, vel fileri. Vsurpatio-  
num origo edi debuit, ut ius Domini ab iniuriâ Subdi-  
torum assereretur. Neque origo rectè ostendi poterat,  
nisi detectis circumstantijs & causis usurpantium à tu-  
multu & rebellione auspicantium & res nouare molien-  
tium. Cum verò hodiernis temporibus seditionorum cre-  
uerit numerus, & audacia scio futuros qui ob similitu-  
dinem morum aliena malefacta sibi obiectari putabunt,  
& per alienæ aequitatis commendationem crimina sua  
damnari. Gloria enim, ac virtus Sontes infensos habet,  
ut vultus ex propinquo diuersa arguens. Illorum  
paruipendo iudicia : mihi sat est aberrantes in semi-  
tam reducere, publico prodesse, & probis, non inflatae  
Plebeculae, furiosissime illius Incentoribus placere.

Anti-

Antimachi nobilis vatis exemplo, qui ab auditoribus  
inter recitationem poëmatis destitutus, soli Platoni,  
omnium instar, legere perrexit. Priusquam ordiret  
præuidi odiosum vulgo opus me exorsurum, ægrè scili-  
cet laturo spolia aliquot & exuicias detrahi, opipa-  
ramque prædam, cui erepta fuit, restitui. Vnde cum  
primum animum ad scribendum appuli id mihi negotij  
credi solum dari, non cum Poëta in Andria, Populo  
ut placerent quas fecissem fabulas ( vaniloqui ut cun-  
que fabulosis oblectentur, serij seria serio tractent )  
sed ut quæ oblitterata apparebant Principis, & Ecclesia  
iura eruerem è ruderibus & ruinis, utq; detersâ ru-  
bigine æquè cum reliquis splendescerent. Tu quisquis  
Veritati & Iustitiae faues, veridico, iuridicoque la-  
bore faue, & eo fruere.

